

Nec tamen arma Romana ibi solitudinem fecerunt. Aegyptiorū bellis attrita est Aethiopia, uicissim imperitando seruiendoq; clara & potens etiam usq; ad Troiana bella Memnone regnante, & Syria imperitasse eam, nostroque littore atate regis Cephei patet Andromedæ fabulis. Simili modo & de mensura eius uaria prodidere: primus Dalion ultra Meroen longe subuectus: mox Aristocreon, & Bion, & Basilis: Simonides minor, etiā quinquennio in Meroe moratus cum de Aethiopia scriberet. Nam & Timosthenes classii Philadelphi præfectus, sine mensura dierū lx. à Syene Meroen iter prodidit. Eratosthenes d. cxxv. M. Artemidorus d. c. M. Sebosus ab Aegypti extremis sexdecies centena lxxv. M. pas. unde proxime dieti xij. lxx. Verum omnis hæc finita nuper disputatio est, quoniā à Syene d. ccclxij. M. Neronis exploratores renūciauere his modis: A Syene Hieran sycaminō liij. M. pass. Inde Tania lxxv. M. pas. regionē Euonymiton Aethiopū primā cxx. Acinā liij. M. Pitaran xxv. Tergedum cvi. M. insulam Gagauden esse in medio eo tractu. Inde primum uisas aues psittacos, et ab altera (quæ uocatur artigula) animal sphingion, à Tergedo cynocephalos. Inde Napata lxxx. M. Oppidum id paruum inter prædicta solum. Ab eo ad insulā Meroen ccclx. M. Herbas circa Meroen demum uiridiores syluarūq; aliquid apparuisse, & rhinocerotū elephatorūq; uestigia. Ipsum oppidū Meroen ab introitu insule abesse lxx. M. pass. iuxtaq; aliā insulam Tatu dextro subeuntibus alueo, quæ portum faceret. Aedificia oppidi pauca. Regnare sceminam Candacen, quod nomē multis iam annis ad reginas transit. Delubrum Ammonis & ibi religiosum, & toto tractu sacella. Cæterum cum potirentur rerum Aethiopes, insula ea magnæ claritatis fuit. Tradunt armatorum ccl. M. dare solitam, artificum cccc. M. alere. Reges Aethiopum xlv. & hodie traduntur.

Multiformes & miræ hominum effigies.

CAP. XXX.

Vniuersa uero gēs Aetheria appellata est, deinde Atlantia, mox à Vulcani filio Aethiope Aethiopia. Animalium horūq; effigies monstriferas circa extremitates eius gigni minime mirū, artificii ad formāda corpora, effigiesq; cælādas mobilitate ignea. Ferunt certe ab orientis parte intima gēs esse sine naribus, æquali totius oris planicie. Alias superiore labro orbas, alias sine linguis. Pars etiā ore concreto, & naribus carens, uno tantū foramine spirat, potumq; calamis auenæ trahit, et grana eiusdem auenæ sponte proueniētis ad uescendū. Quibusdā pro sermone nutus motusq; membrorum est. Quibusdam ante Ptolemaum Labyrinthum regem Aegypti ignotus fuit usus ignium. Quidam & Pygmaeorū gentem prodiderunt ante paludes, ex quibus Nilus oriretur. In ora autem ubi desimus, continui montes ardentibus similes rubent. Trogloditis & rubro mari à Meroe tractus omnis superponitur: à Napata tridui itinere

ad rubrum littus, aqua pluuia ad usum compluribus locis seruatur, fertilissima regione quæ interest auri. Vltiora Atabuli Aethiopum gens tenet. Deinde contra Meroen Megabari, quos aliqui Adiabaras nominauere, oppidum habent Apollinis. Pars eorū Nomades, quæ elephantis uescitur. Ex aduerso in Aphricæ parte Macrobij. Rursus à Megabaris Memnones et Danelli, dierumq; xx. interuallo Critensi. ultra eos Dochi. deinde Gymites semper nudi. mox Anderæ, Mathitæ, Mesagebes, Hipporeæ, atri coloris tota corpora rubrica illinunt. At ex Africæ parte Medimni. Deinde Nomades cynocephalorum lacte uiuentes, Olabi, Syrbotæ, qui octonum cubitorum esse dicuntur. Aristocreon Libyæ latere à Meroe oppidum Tolendierū v. itinere tradit. Inde dierū xij. Esar Aegyptiorum oppidum, qui Psammetichum fugerint: in eo produntur annis ccc. habitasse. Contra in Arabico latere Daron oppidum esse eorum. Bion autem Sopen uocat, quod ille Esar, et ipso nomine aduenas ait significari. Caput eorum in insula Sembobitin, & tertium in Arabia Sai. Inter montes autem & Nilum Symbari sunt, Phalanges, in ipsis uero montibus Asachæ multis nationibus. Abesse à mari dicuntur dierum v. itinere. Viunt elephantorum uenatu. Insula in Nilo Semberritarum, reginæ paret. Ab ea Nubei Aethiopes dierum octo itinere. Oppidum eorum Nilo impositum, Tenupsis. Sambri, apud quos quadrupedes omnes sine auribus, etiam elephantii. At ex Africæ parte Ptoembari, Ptoemphana, qui canem pro rege habent: motu eius imperia augurantes: Auruspi oppido longe à Nilo sito. Postea Achisarmi, Phaliges, Marigerri, Casamarri. Bion & alia oppida in insulis tradit, à Sembobiti Meroen versus dierum toto itinere xx. Proximæ insule oppidum Semberritarum sub regina: & aliud Asar. alterius oppidum Daron. Tertiam Medoen uocāt, in qua oppidum Asel. Quartam eodem quo oppidum nomine Garoden. Inde per ripas oppida, Nauos, Modundam, Andatim, Setundum, Colligat, Secande, Nauectabe, Cumi, Agrospi, Aegipam, Cædrogari, Arabam, Summaram. Regio supra Sirbitum, ubi desinunt montes, traditur à quibusdam habere maritimos Aethiops, Niscastes, Nisitas, quod significat ternum & quaternum oculorum viros: non quia sic sint, sed quia sagittis præcipua contēplatiōe utātur. Ab ea uero parte Nili quæ supra Sytes maiores oceanumq; meridianum protenditur, Dalion uocatos esse dicit, pluuia tantum aqua utentes Cisoros, Longoporos. Ab Oecalicibus dierum quinque itinere Vsihalcos, Isuelos, Pharusos, Valios, Cispios. Reliqua deserta. Deinde fabulosa: ad occidentem uersus Nigræ, quorum rex unum oculum habeat in fronte. Agriophagi pantherarum & leonum carnibus maxime uiuentes. Pamphagi omnia mandentes. Antropophagi humana carne uescentes. Cynamolgi caninis capitibus. Arthabatitæ quadrupedum ferarum modo uagi. Deinde Hesperij, Perorsij quos in Mauri-

g tania